

XIX.

C o m p o s i t a e.

A. Cichoreae.

94. *Rodigia commutata**

Char. gen. *Anthodium* calyculatum subimbricatum. *Rec.* paleaceum. *Pappus* stipitatus pilosus.

Locus inter Seriolam et Crepim. Illa differt pappo plumoso (exc. *Seriola laevigata* Vahl. Desfont.) haec receptaculo nudo.

Char. spec. R. foliis radicalibus runcinatis dentatis hispidis, caulinis sagittatis amplexicaulis pinnatifidis, calyce hispido.

Habitat in insulis maris Ionii, unde uvae passae veniunt, e quibus *Rodigius Stolpensis* largitus est.

Planta cubitalis et altior. *Caulis* ramosus, pilis sparsis rigidis obsessus. *Rami* patentes, flexuosi. *Folia* radicalia dodrantalia, runcinata, dentata, subtus inprimis et ad nervum medium hirsutiuscula: lobus extimus subtriangularis. *Folia* caulina sagittata, amplexicaulia, basi pinnatifida. *Rami* floriferi uniflori, squama una! aut altera instructi. *Anthodium* imbricatum, hispidum, squamis exterioribus patulis calyculum formantibus. *Flores* lutei. *Receptaculum* paleaceum, *Pappus* radii subsessilis, disci stipitatus pilosus.

Venit nomine *Crepis raphanifoliae* Willd.

suppl. Sed haec longe diversa: 1. caule dense pubescente subglanduloso 2. floribus corymbosis 3. bracteis ventricosis scariosis latis. 4. anthodio glanduloso - pubescente, cuius squamae extimae obtusae subscariosae. 5. florum colore pallidiori. 6. defectu palearum receptaculi. Ad hanc videtur pertinere: *Hieracium chondrilloides saxatile hirsuto folio dentato Cupan. panph.* sic. t. 137. quod Smithius habet *Hieracium bracteolatum*. Ad Rodigiam commutatam vero: *Hieracium hyemale Jaceae pallido folio rugoso Cupan. panph.* sic. t. 143., sed ambigo.

Habui olim Crepin *rhoeadifoliam* Steven. Marsch. Bieb. fl. cauc. 2. p. 259. Sed haec differt: 1. caule profunde sulcato 2. defectu palearum receptaculi. 3. pappo sessili.

Pertinet ad hoc genus secunda species:

Rodigia laevigata, foliis radicalibus obovatis dentatis anthodioque glabris, caule nudo.

Seriola laeviuscula L. syst. veg. 721. Vahl symb. 2. p. 90. *S. laevigata* Desfont. atl. 2. p. 237. t. 216. Willd. sp. pl. 3. p. 1619.

Hab. in Barbariae arvis.

Seriola alliata Bivon. sic. pl. cent. 2. t. 7., quam Smithius huc trahit; haudquaquam huc pertinet, quippe pappo uniformi plumoso stipitato instructa. Cf. Bivon. pl. rar. manip. 4. p. 16.